

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Level Two Medieval Latin Examination

5 September 2014

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

.....

1. Thomas Aquinas on human merit

Utrum homo possit aliquid mereri a Deo. . . . Respondeo dicendum quod meritum et merces ad idem referuntur, id enim ‘merces’ dicitur quod alicui recompensatur pro retributione operis vel laboris, quasi quoddam pretium ipsius. Unde, sicut reddere iustum pretium pro re accepta ab aliquo est actus iustitiae, ita etiam recompensare mercedem operis vel laboris est actus iustitiae. Iustitia autem aequalitas quaedam est. . . . Manifestum est autem quod inter Deum et hominem est maxima inaequalitas, in infinitum enim distant, et totum quod est hominis bonum, est a Deo. Unde non potest hominis ad Deum esse iustitia secundum absolutam aequalitatem, sed secundum proportionem quandam, in quantum scilicet uterque operatur secundum modum suum. Modus autem et mensura humanae virtutis homini est a Deo. Et ideo meritum hominis apud Deum esse non potest nisi secundum praesuppositionem divinae ordinationis, ita scilicet ut id homo consequatur a Deo per suam operationem quasi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit.

2. Why the princes elected Frederick Barbarossa emperor (Otto of Freising, *Gesta Friderici primi imperatoris*)

Duae in Romano orbe apud Galliae Germaniaeve fines famosae familiae hactenus fuere, una Heinricorum de Gueibelinga, alia Gwelforum de Aldorfo, altera imperatores, altera magnos duces producere solita. Istae, ut inter viros magnos gloriaeque avidos assolet fieri, frequenter sese invicem emulantes rei publicae quietem multociens perturbant. Nutu vero Dei, ut creditur, paci populi sui in posterum providentis sub Heinrico V factum est, ut Fridericus dux, pater huius, qui de altera, id est de regum familia, descenderat, de altera, Heinrici scilicet Noricorum ducis filiam, in uxorem acciperet ex eaque Fridericum, qui in presentiarum est, generaret. Principes igitur non solum industriam ac virtutem iam sepe dicti iuvenis, sed etiam hoc, quod utriusque sanguinis consors tamquam angularis lapis utrorumque horum parietum dissidentiam unire posset, considerantes caput regni eum constituere adiudicaverunt, plurimum rei publicae profuturum precogitantes, si tam gravis et diutina inter maximos imperii viros ob privatum emolumentum simultas hac demum occasione Deo cooperante sopiretur.

3. The emperor Galerius ends the persecution of the Christians (311)

Inter cetera quae pro rei publicae semper commodis atque utilitate disponimus, nos quidem volueramus antehac iuxta leges veteres et publicam disciplinam Romanorum cuncta corrigere atque id providere, ut etiam Christiani, qui parentum suorum reliquerant sectam, ad bonas mentes redirent, siquidem quadam ratione tanta eosdem Christianos voluntas invasisset et tanta stultitia occupasset, ut non illa veterum instituta sequerentur, quae forsitan primum parentes eorundem constituerant, sed pro arbitrio suo atque, ut isdem erat libitum, ita sibimet leges facerent quas observarent, et per diversa varios populos congregarent. Denique, cum eiusmodi nostra iussio extitisset, ut ad veterum se instituta conferrent, multi periculo subiugati, multi etiam deturbati sunt. Atque, cum plurimi in proposito perseverarent ac videremus nec diis eosdem cultum ac religionem debitam exhibere nec Christianorum deum observare, contemplatione mitissimae nostrae clementiae intuentes et consuetudinem sempiternam, qua solemus cunctis hominibus veniam indulgere, promptissimam in his quoque indulgentiam nostram credidimus porrigendam, ut denuo sint Christiani et conventicula sua componant, ita ut ne quid contra disciplinam agant.

4. Pietro Bembo on the origin and effects of syphilis (*History of Venice* 1551)

Iamque in urbe, advenarum contagione invectioneque siderum, morbus peratrox initium acceperat, is qui est Gallicus appellatus, quo genitalibus ante omnia plerumque vitiatis, corpus doloribus afficiebatur, deinde pustulae maculaeque prodibant, cum in membris reliquis, tum magnopere in capite facieque; ac saepe tumores et tamquam tubera, primum subdura, post etiam saniosa exoriebantur. Itaque multi, diu vexati membrorum prope omnium doloribus deformatique tuberculis et ulceribus, ut vix agnoscerentur, miserabiliter interibant; neque quorum medicamentorum pestilentia indigeret nova insolensque sciri poterat. Quamobrem, annos complures omnibus in reipublicae municipiis et finibus licenter pervagata, magnum hominum numerum absumpsit, foedavit multo maximum. Sed quoniam eo de morbo Fracastoriani libri tres, heroicis versibus multa cum dignitate venustateque conscripti, vulgo in manibus habentur, nihil nos quidem attinet haec scribentes commorari, praesertim quod eius acerbitas et vis, multo nunc iam remissior tolerabiliorque facta, vel inventis ad ea mala perfugiis opibusque, vel caelo minus in dies saeviente, plane deferbuit.